

Universitätsbibliothek Wuppertal

Orationvm Marci Tvl. Ciceronis

Accesserunt breues animaduersiones ex doctissimorum hominum
commentariis, quibus ita loci permulti explicantur, vt vulgo receptæ
lectionis vbique ratio habeatur

Cicero, Marcus Tullius

Lvgdvni, 1586

Oratio XLIX: In M. Antonium in senatu Philippica VII.

Nutzungsrichtlinien Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-343](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:468-1-343)



IN M. ANTONIVM P. B.

IN SENATV PHILIP-
PICA VII.

ORATIO XLIX.



ARVIS de rebus, sed fortasse necessarijs cō-
sulmur, P. C. de Appia uia, & de Moneta cō-
sul, de Lupercis tribuni pleb. referunt. quarū
rerum etsi facilis explicatio uidetur, tamen
animus aberrat a sentētia. suspēsus curis maioribus. Ad-
ducta est enim, P. C. res in maximum periculum, & in ex-
tremum pene discrimen, Non sine causa legatorum istam
missionem semper timui, numquam probaui: quorum redi-
tus quid sit allaturus, ignoro: expectatio quidem quantum
afferat languoris animis, quis non uidet? non enim se te-
nent ij, qui senatum dolent ad auctoritatis pristinae spē re-
uirescere, coniunctum huic ordini populum Ro. conspiran-
tem Italiam, paratos exercitus, expeditos duces. iam nunc
fungunt Antonij responsa: eademq; defendūt. alij, postulare
illum, ut omnes exercitus dimittantur. scilicet legatos ad
eum misimus, non ut pareret, & dicto audiens esset huic
ordini, sed ut condiciones ferret, leges imponeret, referare
nos exteris gētib; Italiam iuberet. se praesertim incolumi
a quo maius periculū, quā ab ullis nationibus extimescen-
dum est. alij, remittere eum nobis Galliam citeriorem, illā
ultimam postulare. praeclare: ex qua non legiones solum, sed
etiā nationes ad urbē conetur adducere. alij, nihil eū iā nisi

DDD mod

P. 210.

modesti postulare. Macedoniam suam uocat omnino: quoniam C. frater est inde reuocatus. Sed qua provincia est, ex qua illa fax excitare non possit incēdium? Itaq; ydem quasi prouidi ciues, & senatores diligentes, bellicū me cecimisse dicunt: suscipiunt partis patrociniū, quī sic disputāt. Irritatum Antonii non oportuit. nequā est homo ille atq; cōfidens: multi praeerea improbi (quos quidem a se primum numerare possunt, qui hāc loquuntur) eos cauendos esse denuntiant. utrū igitur in nefarijs ciuibus ulciscendis, caū possis, an pertimescēdis diligētior cauti est? Atq; hāc illi loquuntur, qui quondam propter lenitatem populares habebantur. Ex quo intelligi potest, animo illos abhorruisse semper ab optimo ciuitatis statu, non uoluntate fuisse populares: qui enim euenit, ut, qui in rebus improbis populares fuerint, ydem in re una maxime populari, quod eadē salutaris reip. sit, improbos se, quam populares esse malint? me quidem semper (ut scitis) aduersatum multitudinis temeritati, hāc fecit praclarissima causa popularē. Et quidem dicuntur, uel potius ydem ipsi se dicūt consulares: quoniam nomine dignus est nemo, nisi qui tanti honoris nomen potest sustinere. fauceas tu hosti? ille literas ad te mittat de sua spe rerum secundarum? eas tu laetus proferas? recites, describendas etiam des improbis ciuibus: eorum augeas animos? bonorum spem, uirtutemque debilitas? & te consularem, aut senatorem, denique ciuem putes? Accipiet in optimam partem C.P. fortissimus consul, atque optimus. etenim dicam animo amicissimo: hūc ipsum mihi hominem familiarissimum, nisi talis consul esset, ut omnes uigilias, curas, cogitationesq; in reip. salute defigeret, consulem non putarem. quamquam nos ab inuente illius et atūsus, consuetudo, studiorum etiam honestissimorum socie-

tas, similitudoq; * coniungit: eiusdemq; * curam incredibilem. P. B.
 in asperrimis belli civilis non modo periculis perspexit salu-
 tatis, sed etiam dignitatis meae: tamen eundem, ut dixi, nisi
 talis consul esset, negare esse consulem auderem. idem non
 modo consulem esse dico, sed etiam memoria mea praestanti-
 simum, atq; optimum consulem: non quin pari virtute, &
 uoluntate alij fuerint: sed tantam causam non habuerunt,
 in qua & uirtutem, & uoluntatem suam declararent. Ha-
 ius magnitudinē animi, grauitati, sapientiae tempestas est
 oblata formidolosissimi temporis. Tum autem illustratur
 consulatus, cum gubernat rempub. si non optabili, at ne-
 cessario tempore. Magis autem necessarium, P. C. nullum
 tempus umquam fuit. Itaq; ego ille, qui semper auctor pa-
 cis fui, cuiq; pax praesertim civilis, quamquam omnibus bo-
 nis, mihi tamen in primis fuit optabilis (omne enim curri-
 culum industriae nostrae in foro, in curia, in amicorum peri-
 culis propulsandis, elaboratum est: hinc honores amplissi-
 mos, hinc mediocres opes, hinc dignitatem, si quam habe-
 mus, consecuti sumus) ego itaq; pacis, ut ita dicam, alēnus,
 qui, quantumcumq; sum (nihil enim mihi arrogo) sine pace
 civili certe nō fuisset (periculose dico: quemadmodum ac-
 cepturi, P. C. sitis, horreo: sed pro mea perpetua cupiditate
 uestra dignitatis retinendae, & augendae, quaeso, oroq; uos
 P. C. ut primo, si erit uel acerbum auditu, uel incredibile à
 M. Cicerone esse dictum, accipiatis sine offensione, quod di-
 xero: meue id prius, quam quale sit explicauero, repudietis)
 ego ille, dicā sapius, pacis semper laudator, semper auctor,
 pacem cum M. Antonio esse nolo. magna spe ingredior in
 reliquam orationem, P. C. quoniam periculosissimum lo-
 cum, silentiosum praeteruolatus. cur igitur pacem nolo? quia
 turpis est, quia periculosa, quia esse non potest. Quae tria

P. 211. dum explico, peto à uobis, P. C. ut eadem benignitate, qua soletis, uerba mea audiat. Quid est inconstantia, mobilitate, leuitate, cum singulis hominibus, tum uero uniuerso senatui turpius? quid porro inconstantius, quam quem modo hostem non uerbo, sed re multis decretis indicaretis, cum hoc pace uelle subito coniungis? Nisi uero, cum C. Caesari meritos quidem illi honores, & debitos, sed tamen immortales, & singulares decreuistis, unam ob causam, quod contra M. Antonium exercitum comparauisset, non hostem Antonium iudicauistis, nec tum hostis est à uobis indicatus Antonius, cum laudati auctoritate uestra ueterani milites, qui Caesarem secuti essent. Nec tum hostem Antonium iudicastis, cum fortissimis legionibus, quod illum, qui consul appellabatur, cum esset hostis, reliquissent, uacationes, pecunias, agros spopondistis? quid? cum Brutum homine quodam illius generis, & nominis, natum ad remp. liberandam, exercitumque eius pro libertate populi Rom. bellum gerentem cum Antonio, prouinciamque fidelissimam, atque optimam Galliam laudibus amplissimis affecistis, tum non hostem iudicastis Antonium? quid? cum decreuistis, ut consul alter, amboe ad bellum proficiscerentur: quod erat bellum, si hostis Antonius non erat? Quid igitur profectus est uir fortissimus meus collega, & familiaris A. Hircius consul? at qua imbecillitate? qua macie? sed animi uires corporis infirmitas non retardauit. equum credo putauit, uitam, quam populi Rom. uotis retinisset, pro libertate populi Rom. in discrimen adducere. Quid? cum delectus haberi tota Italia iussistis, cum uacationes omnes sustulistis, tum ille hostis non est indicatus? armatorum officinas in urbe uidetis, milites cum gladiis sequuntur consulem: praesidio sunt specie consuli, re & ueritate nobis, omnes sine ulla

P. B.

reccu

recusatione, summo etiam cum studio nomina dant, parent
 auctoritati uestrae non est indicatus hostis Antonius? At
 legatos misimus, heu me miserum, cur senatū cogor, quem
 laudavi semper, reprehendere? quid? uos censetis, P. C. le-
 gatorum missionem populo Rom. uos probauisse? non in-
 telligitis, non auditis, meam sententiam flagitari? cui cum
 pridie frequentes essetis assensi, postridie ad spem estis ina-
 nem pacis deuoluti. Quam turpe porro est legiones ad sena-
 tum legatos mittere, senatum ad Antonium? quamquam
 illa legatio non est: denuntiatio est, paratum illi exitium,
 nisi paruerit huic ordini. quid refert? tamen opinio est gra-
 uior. missos enim legatos omnes uident: decreti uestri non
 omnes uerba noverunt. * Retinenda igitur nobis constan-
 tia, grauitas, perseuerantia. repetenda est uetus illa seueri-
 tas: si quidem auctoritas senatus, decus, honestatē, laudem
 dignitatemque desiderat: quibus rebus hic ordo caruit nimitū
 diu, sed er at tunc excusatio oppressis: misera illa quidem,
 sed tamen iusta. nunc nulla est. Liberati iam regio domina
 tu uidebamur. Multo postea grauius urgebamur armis do-
 mesticis: ea ipsa depulimus nos quidem: extorquenda sunt.
 quod si non possumus facere (dicam, quod dignum est sena-
 tore, & Romano homine) moriamur. quanta illa erit reip.
 turpitudo, quantum dedecus, quanta labes, dicere in hoc or-
 dine sententiam M. Antonium consulari loco? cuius ut omit-
 tam innumerabilia scelera urbani consulatus, in quo pe-
 cuniam publicam maximam dissipauit, exsules sine lege re-
 stituit, uectigalia uendit, prouincias de populi Rom. im-
 perio sustulit, regna addixit pecunia, leges ciuitati per uim
 imposuit, armis aut obsedit, aut exclusit senatum: ut hæc,
 inquam, omittam, ne hoc quidem cogitatis, eum qui Muti- P. 212.
 nam coloniam populi Rom. firmissimam oppugnarit, con-

sulem designatum obsiderit, depopulatus agros sit, hunc in eum ordinem recipi, à quo toties ob has ipsas causas hostis indicatus sit, quam scdum, flagitiosumque sit? Satis multa de turpitudine. Dicam deinceps, quod proposui, de periculo: quod & si minus est fugiendum, quam turpitudine, tamen offendit animos maioris partis hominum magis. Poteritis igitur exploratam habere pacem, cum in civitate Antonium videbitis, vel potius Antonios? nisi forte contemnitis Lucium? ego ne Caium quidem, sed, ut video, dominabitur Lucius. est enim patronus xxxv. tribuum: quarum sua lege, qua cum C. Casare magistratus sortitus est, suffragium sustulit: patronus centuriarum equitum Rom. quas item sine suffragio esse voluit: patronus eorum, qui tribuni militares fuerint: patronus tamen medij. o dij, quis huius potentiam poterit sustinere? praesertim cum eosdē in agros etiam deduxerit. quis unquam omnes tribus? quis equites Romanos? quis tribunos militares? Gracchorum potentiam maiorem fuisse arbitramini, quam huius gladiatoris futura sit? quem gladiatorem non ita appellavi, ut interdum etiam M. Antonius gladiator appellari solet, sed, ut appellant ij, qui plane, & Latine loquuntur. Myrmillo in Asia depugnauit: cum ornasset Thracidicis comitem, & familiarem suum, illum miserum fugientem iugulauit: luculentam tamen ipse plagam accepit, ut declarat cicatrix. qui familiarem iugularit, quid hic, occasione data, faciet inimico? & qui illud animi causa fecerit, hunc praedae causa quid facturum putatis? non rursus improbus decuriabit? non sollicitabit rursus agrarios? non * quæret urbe expulsos? M. vero Antonius non is erit, ad quem omni motu concursus fiat civium perditorum? ut nemo sit alius, nisi ij, qui una sunt, & ij, qui hic ci nunc aperte fauent

P. B.

fauent, parumne erunt multi? praesertim cum bonorum
 praesidia discesserint, illi parati sint ad nutum futuri. Ego
 uero metuo, si hoc consilio lapsi erimus, ne illi breui tem-
 pore nimis multi nobis esse uideantur. Nec ego pacem
 nolo: sed pacis nomine bellum * inuolutum reformido.
 quare, si pace frui uolumus, bellum gerendum est: si bel-
 lum omitemus, pace numquam fruemur. Est autem nostri
 consilij, patres conscripti, in posterum quam longissime
 providere. iccirco in hac custodia, & tamquam specula
 collocati sumus, ut uacuum metu populum Romanum
 nostra uigilia, & prospicientia redderemus. Turpe est,
 summo consilio orbis terrae, praesertim in re tam perspi-
 cua, consilium intelligi defuisse. Eos consules habemus,
 eam populi Romani alacritatem, eum consensum Italiae,
 eos duces, eos exercitus, ut nullam calamitatem repu-
 blica accipere possit sine culpa senatus. Equidem non
 deero, monebo, praedicam, denuntiabo, testabor semper
 deos, hominesque, quid sentiam: nec solum fidem meam,
 (quod fortasse uidetur satis esse, sed in principe ciue non
 est satis) curam, consilium, uigilantiamque praestabo. Dixi
 de periculo. docebo ne coagmentari quidem posse pacem.
 de tribus enim, quae proposui, hoc extremum est. Quae po-
 test esse pax M. Antonio primum cum senatu? quo ore ille
 uos poterit, quibus illum uicissim uos oculis intueri? quis
 uestrum illum, quem ille uestrum non oderit? age, uos,
 ille solus, & uos illum? quid? ij, qui Mutinam circumse- P. 213.
 dent, qui in Gallia delectus habent, qui in nostras fortu-
 nas imminet, amici umquam nobis erunt, aut nos illis?
 an equites Rom. amplectetur? occulta enim fuit eorum
 uoluntas, iudiciumque de M. Antonio? qui frequentissimi
 in gradibus Concordiae steterunt, qui uos ad libertatem

recuperandam incitauerunt: arma, saga, bellum flagitauerunt: me una cum populo Romano in concionem uocauerunt. hi Antonium diligunt? cum his pacem seruabit Antonius? Nam quid ego de uniuerso populo Romano dicam? qui pleno, ac referto foro, bis me una mente, atque uoce in concionem uocauit, declarauitque maximam libertatis recuperanda cupiditatem. Itaque, quod erat optabile antea, ut populum Romanum comitem haberemus, nunc habemus ducem. Quae est igitur spes, qui Mutinam circumsedent, imperatorem populi Romani, exercitumque oppugnantes, ijs pacem cum populo Romano esse posse? An cum municipijs pax erit, quorum tanta studia cognoscuntur in decretis faciendis, militibus dandis, pecunijs pollicendis, ut in singulis oppidis curiam populi Rom. non desideretis? Laudandi sunt ex huius ordinis sententia Firmani, qui principes pecuniae pollicendae fuerunt: respondendum honorifice est Marrucinis, qui ignominia notandos censuerunt eos, qui militiam subterfugissent. haec iam tota Italia sunt. Magna pax Antonio cum ijs, his item cum illo, quae potest maior esse discordia? in discordia autem pax civilis esse ullo pacto potest? ut omittam multitudinem: L. Visidio equiti Rom. homini in primis ornato, atque honesto, cuique semper egregio, cuius ego excubias, & custodias mei capitis cognoui in consulatione meo: qui uicinos suos non cohortatus est solum, ut milites fieret, sed etiam facultatibus suis subleuauit: huic, inquam, tali uiro, quem nos senatusconsulto collaudare debemus, poteritne esse pacatus Antonius? Quid C. Caesari? qui illum urbe: qui D. Bruto, qui Gallia prohibuit? Iam uero ipse se placabit, & leniet provincia Galliae, a qua exclusus, & repudiatus est: omnia uidebitis, P. C. nisi prospicitis, ple

P. B.

plena odiorum, plena discordiarum, ex quibus oriuntur bella civilia. Nolite igitur id uelle, quod fieri non potest, & caute per deos immortales, P. C. ne spe presentis pacis, perpetuam pacem amittatis. Quorsum hæc omnis spectat oratio? quid enim legati egerint, nondum scimus: at uero erecti, excitati, parati, armati animis iam esse debemus, ne blanda, aut supplicis oratione, aut æquitatis simulatione fallamur, omnia fecerit oportet, quæ interdicta, & denunciata sunt, prius quam aliquid postulet: Brutum exercitumque eius oppugnare urbes, & agrös provincie Gallie populari destiterit: ad Brutum adeundi legis potestatem fecerit: exercitum citra flumen Rubiconem eduxerit, nec propius urbem millia passuum ducta admouerit: fuerit in senatus, populique Rom. potestate. hæc si fecerit, erit integra potestas nobis deliberandi: si senatus non paruerit, non illi senatus, sed ille populo Romano bellum indixerit. Sed uos moneo, P. C. libertas agitur populi Rom. quæ est commendata uobis: uita, & fortuna optimi cuiusque, quo cupiditatem infinitam cum immani crudelitate iam pridem intendit Antonius: auctoritas uestra, quæ nullam habebitis, nisi nunc retinueritis. tetrâ, & pestiferam belluam, ne inclusam, & constrictam dimittatis, caute. Te ipsum, Pansa, moneo (quæquam non eges consilio, quo uales plurimû: tamen etiam summi gubernatores in magnis tempestatibus a uectoribus admoneri solent) hunc tuum tantum apparatus, tamque præclarum, ne ad nihilum recidere patiare. tempus habes tale, quale nemo habuit umquam. hæc grauitate senatus, hoc studio equestris ordinis, hoc ardore populi Rom. potes in perpetuum rempublicam metu, & periculo liberare.